

sus inter masculos succedentes ortum discrimen. Seldeno
 enim ibidem et in libris de vxore Ebraica testante inter do-
 tem vxoris et reliqua eius bona, quae apud Roma-
 nos paraphernalia audiebant, ratione successionis inter-
 erat. Haec post mariti mortem ad liberos quoscunque
 vxoris masculos, illa vero, quae dotalia vocat Seldenus, quia,
 vt idem ait d. l. Cap. X., ex iure Ebraico non vxor marito
 sed maritus vxori dotem praestituit, ad solos masculos ex
 marito dotante natos transmittentur. Mitto nunc prae-
 rogatiuam primogeniti inter filios in familia exerciscunda, de
 qua Seldenus d. l. Cap. V. Cuiusmodi tamen praerogatiua in filia-
 bus non obtinuit, eodem referente Seldeno, d. l. Cap. VIII. Item
 differentiam praetereo maiorum minorumue in bonis here-
 ditariis, ibid. Cap. IX. Porro enarrationem partis decimae fi-
 liabus singulis ex paternis bonis praestandae, ibid. Cap. X. De-
 nique conditionem liberorum, qui integro aut non integro
 fuerunt corpore, diuersam, ibid. Cap. XI. Et alia, quae signi-
 ficant aperteque ostendunt, successionem ab intestato Ebrai-
 cam etiam eam, quae recta descendentium est, tantum non
 vbiuis mere ciuilem rationem referre. Vt idcirco vel ipsae
 diuinae positivae leges sint documento, successionem ab in-
 testato, quaecunque fuerit, non iure diuino naturali praeci-
 piente ac necessario superstructam, sed arbitrio legislatorum
 esse relictam, quorum est prouidere, ne ciuium demortuorum
 bona elapsa dominiis quasi in medio sint et cuiilibet ad ea adi-
 tus pateat, verum vt solis cognatis, ordine succedendi pru-
 denter constituto, permittantur. Vnde, si quid cerno, vni-
 cum successionis ab intestato aequae ac eius, quae per testa-
 mentum aliamue vltimam, quam vocant, voluntatem defer-
 tur, principium fundamentumque ciuitatis est constitutio,
 qua voluntates ciuium, quae cum vita exspirarunt, vltra eam
 producuntur.

abludit, qua-
 tenus in suc-
 cessione de-
 scendentium
 non sexus so-
 lum sed bono-
 rum etiam di-
 uersa ratio
 inuitur. Item
 ius primoge-
 niturae inter
 filios, quod-
 que idem in-
 ter filias non
 obtinuit, nec
 non differen-
 tia liberorum
 integrorum
 aut non inte-
 grorum cor-
 pore, ad ciui-
 lia pertinet
 instituta.

D

§. XVIII.